

Difficillimam Cognitionem esse rerum universalissimarum tam verū est quam vulgare, cum enim hæc omnes à sensibus quam remotissimæ sint, qui singularibus tantum hærent infixi, cogaturq; intellectus easdem immediate nullo interveniente adminiculo apprehendere, apprehensas dijudicare & cognoscere, at verò ita comparatum sit cum actionibus humanis, ut illæ feliciter succedant quo magis virtus fuerit unita à qua suscipiuntur, facile hujus elogij veritas patescit. Adde quod tam sit quam maxime necessaria, quia impossibile est, ut quis tueri possit scientiam rerum specialium, nisi præcognitis quæ illis accidunt in generali suo respectu. Quia tamen suavissima insimul est dijudicatio objectorum specialium, & sicubi datur, singularium (addo autem singularium cum non facilis concessero axioma illud pervulgare: *Singularium nulla est scientia*, nisi addatur omnium, aut per vocem scientiæ intelligatur disciplina scientifica: simpliciter enim si accipiatur, frustranea erit inquisitio in causam hujus vel illius eclipseos, eclipsis quia hæc & illa ens est singulare, nihilominus finis hujus inquisitionis jam obtento absq; ulla repugnantia definitio scientiæ competit) suavissimam autem dijudicationem hanc eapropter dico, quod animus in universalibus solus sibi relictus difficultate rei delassatus, jam utens famulatio sensuum tam externorum quam internorum, & levamen quodpiam persentiscat & simul jucunditate exinde afficiatur. Quia quoq; non tantum suavissima, sed etiam nî majoris æqualis tamen est utilitatis & necessitatis cum priore; placuit in consideratione cujusdam entis specialis ingenium exercere, quo post hæc facilius ad magis abstrusa aditus pateat. Esto autem pro re nata summæ illa admirationis & pulchritudinis species meteororum Emphaticorum, IRIS nempe, quæ se spectantem quem non afficit jucunditate? quem non expectatione? quam ob causam à Poëtis Thaumantis, h. e. admirationis filia est dicta. Ejus autem disquisitionem ita disponemus ut quinque sectionibus videamus.